



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Honorii || Avgvstodvnen-||sis Ecclesiae Presbyteri De ||  
Praedestinatione Et Libero Ar-||bitrio Dialogus, nunquàm  
antehac || typis expressus**

**Honorius <Augustodunensis>**

**Köln, 1552**

**VD16 H 4771**

Sententiae Ex Libro Secvndo De Bono perseuerantiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29827**

## BEATI AVGVSTINI.

rare, & conuertere hominum voluntates. Cogitate autem quale sit, vt credamus ad constituenda regna terrena, hominum volūtates operari Deū, & ad capescendum regnum cœlorum, homines operari voluntates suas.

# SENTENTIAE EX

## LIBRO SECVNDO DE

Bono perseverantiæ.

### Capite II.

 Ideamus vtrū hæc perseverantia, de qua dictum est, Qui perseverauerit vsq; in finem, hic saluus erit, donū sit Dei. Quod si non sit, quomodo verum est, quod Apostolus ait, Vobis donatum est pro Christo, nō solum vt credatis in eum, verum etiā vt patiamini pro eo? Horum quippe vnum pertinet ad initium, alterū ad finem: vtrunq; tamen est Dei donum, quia vtrunq; dictum est esse donatum, sicut & superius iam diximus. Quod eñ est initium verius Christiano, quàm credere in Christum? Quis finis melior est, quàm pati, p̄ Christo? Sed quod ad id pertinet vt credatur in Christum, qualiscunq; inuēta est contradictio, vt donum Dei non initium, sed augmentum fidei diceretur, cui opinioni donante domino satis superq; respondimus. Quid autem dici potest, cur perseverantia vsq; in finē non donetur in Christo, cui donatur pati pro Christo, aut vt expressius eloquar, cui donetur mori p̄ Christo? Nam & Petrus apostolus donū dei hoc esse

Mat. 10

Philip. 1

1. Petr. 3

esse

## SENTENTIAE EX LIB:

esse demonstrans, Melius est, inquit, benefacientes (si velit voluntas Dei) pati quam malefacientes. Cum dicit, si velit voluntas Dei, ostendit diuinitus donari omnibus sanctis, vt pro Christo patiantur: neq; enim quos vult Deus peruenire ad experientiam gloriæ passionis, nõ perueniunt ad regnum Dei, si perseverauerint in Christo vsq; in finem. Sed quis dicat istis nõ donari hanc perseverantiam, qui ægritudine corporis, vel quocunq; casu moriuntur in Christo, cum longè difficilior donetur illis, à quibus suscipitur & mors ipsa pro Christo? Multo quippe difficilius perseveratur, vbi hoc agit, qui persequitur, ne perseveretur, & propterea vsq; ad mortem sustinetur, vt perseveretur. Illam proinde difficilius perseverantiam, istam facilius est habere: sed cui nihil difficile est, facile est vtranque donare. Hanc enim promisit Deus, dicens: Timorem meum dabo in cor eorum vt à me non recedant. Quod quid est aliud, quam talis ac tantus erit timor meus quem dabo in cor eorum, vt mihi perseveranter adherent? Cur autem perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur ipsum nõ dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate: sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ab hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse nec fecit.

### Capite VI.

Sed nolunt vt scribitis, isti fratres, ita hanc perseverantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri,

Hier. 32.

## BEATI AVGVSTINI.

rerum vel amitti contumaciter possit, ubi quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem, quæ si data est, perseveratum est usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data, quod iam & superius satis egimus. Non itaque dicant homines perseverantiam cuiquam datam usque in finem, nisi cum ipse venerit finis, & perseverasse cui data est, reperi tus fuerit usque in finem. Dicimus quippe castum quem novimus castum, siue sit, siue non sit in eadem castitate mansurus: & si quid aliud diuini muneris habeat quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quandiu cunctis habet, & si miserit, dicimus habuisse. Perseverantiam verò usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseverauerit usque in finem: multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne fortè cum perseverauerit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cum enim perseverauerit quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo enim potest amitti per quod fit, ut non amittatur etiam quod posset amitti? Sed ne fortè dicatur, usque in finem perseverantiam non amitti quidem, cum data fuerit, id est, cum perseveratum fuerit usque in finem: sed tunc amitti quodammodo quando agit homo per contumaciã,  
ut ad

## SENTENTIAE EX LIB.

vt ad eam peruenire non possit: sicut dicimus hominem qui non perseverauerit vsq; in finem amississe vitam æternam, vel regnum Dei, non quod iam acceperat vel habebat, sed quod acciperet & haberet, si perseveraret. Verborum controuersias auferamus, & nonnulla etiam quæ non habentur, sed haberi sperantur, posse dicamus amitti. Dicat mihi quisquis audet, vtrū Deus dare non possit quod à se posci imperauit: Hoc certè qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperauit autē Deus, vt ei sancti eius dicant orantes, Ne inferas nos in tentationem. Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non inferatur in contumaciæ tentationem, qua possit vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere. At enim voluntate sua quisq; deserit Deum, vt merito deseratur à Deo. Quis hoc negauerit: Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat. Et si exaudimur, vtiq; non fit, quia Deus nō permittit vt fiat. Nihil enim fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur, Deus tu conuertens viuificabis nos.

**Matt. 6.**

**Psal. 84**

Capite VI. & VII.

Quod itaq; dicimus Deo, Ne nos inferas in tentationem: quid dicimus, nisi ne nos inferi finas: Vnde sic orant nonnulli & legitur in codicibus pluribus, & hoc sic posuit beatus Cyprianus, Ne patiaris nos induci in tentationem. In euangelio tamen Græco nusquam inueni, nisi, Ne nos inferas in

## BEATI AVGVSTINI

ras in tentationem. Tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus, quod vidit iste venerabilis martyr. Nam cum eundem locum orationis exponeret, ait post cætera, Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admone mur infirmitatis & imbecillitatis nostræ: dum sic rogamus ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè arroganterq; aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam, suam dicat: cum dominus ipse humilitatem docens, dixerit, Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totū Deo quicquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.

### Capite VII.

Si ergo alia documenta non essent, hæc dominica oratio nobis ad causam gratiæ quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem & vt non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cum poscendum ostendit à Deo: qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illis primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatē perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certif-

F simi

## SENTENTIAE EX LIB.

fimi sumus, peruenire meruerunt. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus uoluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neq; nisi ad gratiam suam uoluit pertinere ut homo non recedat ab eo.

### Capite VIII.

Sed cur, inquit, gratia Dei non secundum merita hominum datur? Respondeo, Quoniam Deus misericors est. Cur ergo, inquit, non omnibus? Et hic respondeo, Quoniam Deus iudex iustus est: Ac per hoc & gratis ab eo datur & gratia, & iusto eius in alijs iudicio demonstratur, quid eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque sumus ingrati, quod secundum placitum uoluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae, tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset iniustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non iniusticia iudicati sunt filij irae, sed iusticia: qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debitum, bonitas, in exigendo aequitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas inuenitur. Sed cur, inquit, non solum in paruulorum, uerum, etiam in geminorum una atq; eadem causa, tam diuersum iudicium? Nonne similis quaestio est, cur in diuersa causa idem iudicium? Recolamus igitur illos operarios in uinea, qui tota die laborauerunt, & eos qui hora una, nempe causa diuersa est impensi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Num quid & hic audie-

tunt

## BEATI AVGVSTINI.

runt murmurantes à patrefamilias, nisi hoc volo? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem vtrique in bonis sunt: veruntamen quantum ad iustitiam spectat & gratiam, potest & de reo qui liberatur rectè dici, volo: potest & de eo qui damnatur, Tolle quod tuum est & vade: huic autem volo quod non debetur donare. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hic ille si dicat cur non & mihi? merito audiet, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Quem certè in vno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis iniustum, Cum enim iustus esset, etiam si vtrunque puniret: qui liberatur, habet vnde gratias agat, qui damnatur, non habet quod reprehendat. Sed si iam, inquit, hoc oportebat, vt damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur ostenderet, atque ita gratius suam gratiam in vasis misericordiæ commendaret: cur in eadem causa me potius quàm illum puniet, aut illum quàm me potius liberabit? Hoc non dico: si quæris quare, quia fateor me non inuenire quid dicam. Si & hoc quæris quare, quia in hac re sicut iusta est ira eius, sic & magna est misericordia eius, ita inscrutabilia iudicia eius. Adhuc pergat & dicat, cur quibusdam qui eum coluerunt bona fide, perseuerare vsque in finem non dedit? Cur putas nisi quia non mentitur qui dicit, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si

Rom. 12

1. Ioan. 2.

F 2

fuiſſent

## SENTENTIAE EX LIB.

fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcū. Nunquid ergo naturæ hominum quæ ſunt? Abſit: ſi duæ naturæ eſſent, gratia vlla nō eſſet: nulla enim daretur gratuita liberatio, ſi naturæ debita red-deretur.

Ibidem.

Ex duobus itaq; paruulis originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iſte ita vocetur, vt vocantem ſequatur, ille autem, aut non vocetur, aut nō ita vocetur, vt vocantem ſequatur: inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Ex duobus autē pijs cur huic donetur perfeuerantia vſq; in finem, illi autē non donetur, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiffimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum nō eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait vnus prædeſtinatorum qui de pectore domini bibebat hoc ſecretum, manſiſſent vtiq; nobiſcum: Quid eſt queſo, non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent, manſiſſent vtiq; nobiſcum: Nonne vtiq; à Deo creati, vtiq; ex Adam nati, vtiq; de terra facti erant, & ab eo qui dixit, Omnem flatū ego feci vnus eiſdemq; naturæ animas acceperant. Nonne poſtremo vtiq; vocati fuerāt, & vocantem ſecuti, vtiq; cum impijs iuſtificati, & per lauācrum regenerationis vtiq; renouati? Sed ſi hoc audiret ille qui ſciebat proculdubio quod dicebat: reſpondere poſſet & dicere, vera ſunt hæc, ſecundū hæc omnia, ex nobis erant, veruntarnē ſecundum aliam quandam diſcretionem non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent  
ex no-

**I. Ioan. 2.**

**Eſaiæ 57.**

## BEATI AVGVSTINI.

ex nobis, mansissent vtiq; nobiscū. Quæ nam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non auertamur aspectum. Clamat scriptura diuina, adhibeamus auditū. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, nō erant prædestinati secundum propositū eius, qui vniuersa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.

### Capite XI.

Cur autem causam paruulorū ad exemplum maiorum, sicut scribitis, non patiuntur afferri homines qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & ex vno omnes isse in condemnationem? Quod & Manichæi nō accipiūt, qui nō solum omnes veteris instrumenti scripturas in nulla autoritate non habent, verumetiam eas quæ ad nouum pertinent testamentū, sic accipiunt, vt suo quodam priuilegio, imō sacrilegio, quod volunt, sumant, quod nolūt reiſciant. Contra quos agebam in libris de libero arbitrio, vnde isti nobis præscribendum putant. Ideo quæstiones operosissimas incidentes, enucleatè soluere nolui, ne nimium longum opus esset, vbi me aduersus tam peruersos, testimoniorū diuinorum non adiuuabat autoritas.

### Ibidem.

Quamuis ergo in libro tertio de libero arbitrio ita de paruulis disputauerimus, vt etiam si

F 3      verum

## SENTENTIAE EX LIB.

verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ: vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas boni scilicet & mali coæternas esse naturas: nunquid ideo fides in dubium vocanda vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos catholica defendit ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum cuius reatus generatione contractus, regeneratione soluendus est? Quod si & isti fatentur nobiscum, vt simul in hac causa Pelagianorum destruamus errorem, cur putant esse dubitandum, quod etiam paruulos Deus quibus dat suam gratiam per baptismatis sacramentum, eruat de potestate tenebrarum, & transferat in regnum filij claritatis suæ? In eo ergo quod alijs eam dat, alijs non dat, cur nolunt cantare domino misericordiam & iudicium? Cur autem illis potius quam illis detur, quis cognouit sensum domini? Quis inscrutabilia scrutari valeat? Quis inuestigabilia vestigare?

### Capite XII.

Videtur ne charissimi quam sit absurdum, & a fidei sanitate atq; synceritate veritatis alienum, vt dicamus paruulos mortuos secundum ea iudicari quæ præsciti sunt facturi esse, si viuerent? In hanc autem sententiam, quam certè omnis sensus humanus quantulacumq; ratione subnixus, maximeq; Christianus exhorret, ire cõpulsus sunt, qui sic à Pelagianorum errore alieni esse voluerunt, vt tamen gratiam Dei per Iesum Christum  
domi-

## BEATI AVGVSTINI

dominum nostrum, qua nobis vna post lapsum primi hominis, in quo omnes cecidimus, subuenitur: secundū merita nostrā dari sibi adhuc asserunt esse credendū, & disputatione in super proferendū. Quod ipse Pelagius ante orientales episcopos iudices, damnationis suæ timore damnauit. Hoc autem si non dicatur de mortuorum scilicet operibus quæ facturi erant si viuerent bonis aut malis, ac per hoc nullis, & in ipsa Dei præsentia nō futuris: hoc ergo si non dicatur quod cernitis quanto errore dicatur quid restabit, nisi vt gratiam Dei non secundū merita nostrā dari, quod contra hæresim Pelagianā catholica defendit ecclesia, remota cōtentionis caligine fateamur, atq; id maximè in paruulis euidentiore veritate cernat

### Capite XIII.

(mus.

Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, et detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam & verū Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nosmetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

### Capite XIII.

Sed aiunt prædestinationis definitionem utilitati prædicationis aduersam, quasi verò aduersata sit Apostolo prædicanti, Nonne ille doctor

F 4 gentium

SENTENTIAE EX LIB.

gentium in fide & veritate prædestinationem to-  
 tiens cōmendauit, & verbum Dei prædicare non  
 destitit. Nunquid quia dixit, Deus est qui opera-  
 tur in vobis & velle & operari pro bona volun-  
 tate sua, ideo non ipse, & vt velimus quæ Deo pla-  
 ceant, & vt operemur hortatus est? aut qui dixit:  
 Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vsque  
 in diem Christi Iesu, ideo vt inciperent homines  
 & perseuerarent vsque in finem, ipse non suasi?  
 Nempe ipse dominus hominibus præcepit vt cre-  
 derent, atq; ait, Creditis in Deum & in me credi-  
 te; nec tamē ideo falsa sententia est, nec vana defi-  
 nitio, vbi ait, Nemo venit ad me, id est, nemo cre-  
 dit in me, nisi fuerit ei datū à patre meo. Nec rur-  
 sus, quia vera est hæc definitio, ideo vana est illa  
 præceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni,  
 exhortationi, correctioni q; quæ omnia frequen-  
 tat scriptura diuina, existimamus inutilem defi-  
 nitionem prædestinationis, quam commendat  
 eadem scriptura diuina? An quisquam dicere au-  
 debit Deum non præscisse, quibus esset daturus  
 vt crederent? Aut quos daturus esset filio suo, vt  
 ex eis non perderet quenquam? Quæ utiq; si præ-  
 sciuit, profectò beneficia sua quibus nos digna-  
 tur liberare, præsciuit. Hæc prædestinatio sancto-  
 rum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet &  
 præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè  
 liberantur, quicunq; liberantur. Ceteri autem vbi  
 nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio re-  
 linquuntur.

Ioan. 14.

Ioan. 6.

Ibidem.

Quam-

## BEATI AVGVSTINI.

Quamuis ergo dicamus Dei donum esse obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei datū est, hoc est, obedienter audire, illis autē qui non sic audiunt, non est datum. Non enim quicumq; sed Christus, Nemo inquit, venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Et vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datū. Et de continentia, Non omnes, inquit, capiunt verbū hoc, sed quibus datum est. Et cum Apostolus ad pudicitiam cōiugalem coniuges hortaretur, Vellem, inquit, omnes homines esse sicut me ipsum, sed vnusquisq; proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic. Vbi satis ostendit nō tantum continentiam donum Dei esse, sed coniugatorū etiam castitatem. Quæ cum vera sint, hortamur ad hoc quantū cuiq; nostrum datum est, vt possit horrari, quia & hoc eius donum est, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri. Vnde & Apostolus, Secundum gratiam, inquit, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: & alio loco, Vnicuiq; inquit, sicut dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementū dedit. Itaq; neq; qui plantat aliquid est, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Ac per hoc sicut exhortatur & prædicat rectè, sed ille qui accepit hoc donum: ita exhortantem atque prædicantem profectò ille obedienter audit, qui accepit hoc donū. Hinc est quod dominus cum eis loqueretur qui carnales aures apertas haberēt,

Ioan. 6.

Math. 19.

1. Cor. 7.

1. Corin. 3.

## SENTENTIAE EX LIB.

Luce 8.

dicebat tamē: Qui habet aures audiendi audiat, quas non omnes habere proculdubio nouerat. A quo autem habeant, quicumq; habent, ipse dominus ostendit, ubi ait: Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes. Aures ergo audiendi, ipsum est donum obediendi, ut qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum à patre ipsius. Exhortamur ergo atq; prædicamus: sed qui habent aures audiendi, obediēter nos audiunt, qui verò eas non habent, fit in eis quod scriptū est, ut audientes non audiant: audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant, hoc est, cur illis datum sit à patre ut veniant ad filium, illis autem non sit datum, quis cognouit sensum domini, aut quis eius consiliarius fuit? Aut tu quis es homo, ut respondeas Deo? Nunquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendī nō potest quod occultum est?

### Capite XVI.

Sed alia est ratio verū dicendi, alia verum tacendi necessitas. Causas verum tacendi, longū est omnes quærere vel inserere, quarū tamen est & hæc vna, ne peiores faciamus eos qui nō intelligūt, dum volumus eos qui intelligunt, facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus, doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cum autem res vera ita se habet, ut fiat peior nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest, nobis aut tacentibus, ille qui potest quid putamus esse faciendum?

## BEATI AVGVSTINI.

eiendum? Nonne potius est dicendum verum, vt  
qui potest capere capiat, quàm tacendum, vt non  
non solum id ambo non capiant, verum etiã qui  
est intelligentior, ipse sit peior? Qui si audiret &  
caperet, per illũ etiam plures discerẽt. Quo enim  
est capacior vt discat, eo magis est idoneus vt alios  
doceat. Instat inimicus gratiæ, atq; vrget modis  
omnibus, vt credatur secundũ merita nostra dari,  
ac sic gratia, iam non sit gratia. Et nos volumus  
dicere, quod teste scriptura possumus dicere: time-  
mus enim videlicet ne loquentibus nobis, offen-  
datur qui veritatẽ non potest capere: & non time-  
mus ne tacentibus nobis, qui veritatem potest ca-  
pere, falsitate capiatur? Aut enim sic prædestina-  
tio prædicanda est, quemadmodum eam sancta  
scriptura euidenter loquitur, vt in prædestinatis  
sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei, aut gra-  
tiam Dei secundum nostra dari merita confiten-  
dum, quod sapiunt Pelagiani. Sicut autem ille Cap. XVII  
quem castum futurum esse præsciuit, quàmuis id  
incertũ habeat, agit vt castus sit: ita ille quem ca-  
stum futurum prædestinauit, quàmuis incertum  
habeat, non ideo non agit vt castus sit, quoniam  
Dei dono se audit futurum esse quod erit, imò e-  
tiam gaudet eius charitas, nec inflatur, tanquam  
id nõ acceperit. Non solũ ergo prædicatione præ-  
destinationis ab hoc opere nõ impeditur, verum  
ad hoc adiuuatur, vt cum gloriatur, in domino  
glorietur. Quod autem dixit de castitate, hoc  
de fide, hoc de pietate, de charitate, de perseveran-  
tiantia, & ne pergam per singula, hoc de omni  
obedien-

## SENTENTIAE EX LIB.

obedientia qua obeditur Deo, veracissime dici potest. Si hi qui solum initium fidei, & vsq; in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, vt Dei dona esse non putent, neq; ad hæc habenda atq; continenda, Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cætera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo imperrantur credentis fide: cur ad ipsa cætera, exhortatione eorumq; cæterorum prædicationem, definitione prædestinationis nõ metuunt impediri: An forte nec ipsa dicunt prædestinata: Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit. Sicut ergo ipsi hortantur quoq; ad castitatem, charitatem, pietatem, & cætera quæ Dei dona esse confitentur, eaq; ab illo esse præcognita, ac per hoc prædestinata negare nõ possunt, nec dicunt exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei, hoc est, prædicatione de his donis eius futuris præscientiæ Dei: sic videãt nec ad fidem, nec ad perseverantiam impediri exhortationes suas, si & ipsa opera, quod verum est, esse Dei dona eaq; præcognita, id est, ad donandum prædestinata, esse dicantur: sed impediri potius atq; subverti hac prædestinationis prædicatione illum tantummodo perniciosissimum errorem, quo dicitur gratia Dei secundum merita nostra dari, vt qui gloriatur nõ in domino, sed in seipso gloriatur.

Ibidem.

Hæc ergo Dei dona sunt, id est, vt de alijs taceam,

## BEATI AVGVSTINI.

ceam, sapientia & cōtinentia. Acquiescunt & isti:  
neq; enim Pelagiani sunt, vt aduersus istam per-  
spicuum veritatem dura & hæretica peruersitate  
contendant. Sed hæc, inquit, vt à Deo dentur  
nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis : quam  
fidem & incipere habere, & in ea vsq; in finē per-  
manere, tanquam id non à domino accipiamus,  
nostrum esse contendunt. Hic proculdubio con-  
tradicitur Apostolo dicenti, Quid enim habes  
quod non accepisti? Contradicitur & martyri Cy **1. Cor. 4.**  
priano dicenti, in nullo gloriandum, quando no-  
strum nihil sit. Cum hoc & alia multa quæ piget  
repetere, dixerimus atq; ostenderit, & initium  
fidei, & vsq; in finem perseuerantiam, Dei dona  
esse, nec vlla futura esse sua dona, & quæ danda  
essent, & quibus essent, Deum non præscire po-  
tuisse, ac per hoc prædestinatos ab illo esse, quos  
liberat & coronat: respondendum putant, præ-  
destinationis definitionem, vtilitari prædicatio-  
nis aduersam, eo quod hac audita, nemo possit  
correctionis stimulis excitari. Hęc dicentes nolūt  
hominem prædicare, dona Dei esse vt veniatur  
ad fidem & permaneat in fide, ne plus desperatio  
quàm exhortatio videatur afferre, dum cogitant  
qui audiunt, incertum esse humane ignorantie,  
cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.  
Cur ergo & ipsi nobiscum prædicant, dona Dei  
esse sapientiã & continentiam? Quod si hæc cum  
dona Dei esse prædicantur, non impeditur horta-  
tio, qua homines hortamur esse sapientes, & con-  
tinentes : quæ tandem causa est vt existiment im-  
pediri

## SENTENTIAE EX LIB.

pediri exhortationem, qua exhortamur homines venire ad fidem, & in ea permanere vsque in finem:

Ibidem.

Hier. 17.

Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, vt videāt quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quàm exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominē desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere: cum propheta clamer, Maledictus omnis qui spem ponit in homine. Hæc utiq; dona Dei, quæ dantur electis, secundum Dei propositum vocatis, in quibus donis est & incipere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminū perseuerare: sicut tanta ratione atq; autoritarum contestatione probauimus, Hæc inquam, Dei dona si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo, præsciuntur autem, hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.

Capite XXI.

Hæc ergo vt ingrata Deo sentētia destruat, gratuitis Dei beneficijs quibus liberamur inimica, & initium fidei, & in ea vsq; in finem perseuerantiam secundum scripturas, vnde iam multa diximus, dona Dei esse defendimus: quoniam si à nobis esse dicimus initium fidei, vt eo cætera dona mereamur accipere, cōcludunt Pelagiani gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod ita exhorruit catholica fides, vt damnari timēs, hoc  
Pela-

## BEATI AVGVSTINI

Pelagius ipse damnauerit. Itemq; si dicimus à nobis esse perseuerantiam nostram, non à domino, respondent illi ita nos à nobis habere initium fidei sicut finem: sic argumentantes multo magis nos habere à nobis illud initium fidei, si à nobis habemus permanere vsq; in finem: cum perficere quàm inchoare sit maius, ac sic identidem concludunt, gratiam dei secundum merita nostra dari. Si autem vtrunq; Dei donum est, & hæc Deus dona sua (quod negare quis potest) daturum se esse præsciuit, prædestinatio prædicanda est, vt possit vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi.

FINIS.